



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

Cap. I. De substantia, & conditonibus Feudi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

petente. Quidam dicunt (ait *Saa.*) posse dominum rem pro- *Saa.*
pria authoritate accipere. Addo ex eodem *Molina* non per-
dere eum, qui moram purgat, soluendo statim, nec qui legi-
timè impeditus non soluit.

18. Renuncians hæreditatem censetur ne Emphyteusim re-
nunciare? Respondeo negatiuè cum *Saa.*, qui à Sylvest. acce- *Saa.*
pit. Adiicit ille Emphyteusim Ecclesiæ non præsumi da-
tam esse nisi in tertiam generationem, nec transire nisi in
filios veros, quale non est Monasterium, nec illegitimos, ut
innuimus.



EXAMEN XI.

De Iustitia & Iure, circa materiam sextam de
Contractibus onerosis, scilicet
de Feudo.

CAPUT PRIMUM.

De substantia, & conditionibus Feudi.

1. **Vid est Fendum?** Contractus, quo res immobiliis
conceditur alteri quoad dominium utile pro fi-
delitate seruitioque personali exhibendo, re-
tentia proprietate.

2. **Quotuplex?** Multiplex quidem est. Præcipua autem di-
uisio in Antiquum, Paternum, & Notum; & Hæreditarium, &
non Hæreditarium. In eo ab aliis differt, quod obsequium
personale esse debeat.

3. **Quinam possunt in Feudum dare?** Qui suorum bonorum
liberam habent administrationem, & non sunt aliquo iure
prohibiti. **In particulari?** Dare possunt Papa, Episcopi, Abba-
tes. Domini item temporales, ut Imperator, Rex, Princeps.

4. **Quinam possunt accipere?** Omnes quidem possunt à
principalibus dominis, secus si vasalli & domini minores
in feudum dent.

5. **Quenam res dari in feudum possunt?** Generatim dari
possunt res immobiles, liberæ, propriæ, & alteri non obliga-
tæ. Res prohibita alienari in feudum dari non potest, nec in
feudum nouum res Ecclesiæ.

6. **Exprime**

6. *Exprime feudi conditiones?* Septem ex meis collegi Doctribus. 1. Ut sit de re immobili, vel pro tali habita. 2. Ut dominium directum, & possessio ciuilis apud dominum remaneat; utile verò in vasallum transferatur. 3. Ut non teneatur feudarius ad pensionem, si est feodium parum, sed tantum ad personale obsequium. 4. Ut si obsequium non præstiterit, feodium amittat. 5. Non potest illud inuitu domino alienare, alias amittit. 6. A domino inuestiendus, & in possessionem mittendus est, iurata fidelitate. 7. Inuitu domino non potest feodium donare, oppignerare, vel alteri in feodium concedere.

C A P V T II.

De domino & feudario plura.

7. **S**cio iura multa habere feudarium & dominum in feudo. Itaque ius feudarij recole. Primò, utile dominium non licet alienare, domino inuitu. Secundò, non potest rem feudalem oppignerare. Tertiò, potest fundo feudali seruitutem imponere, sibi soli noxiā. Quartò, dare alteri in feodium potest seruatis hisce conditionibus, vt fiat sine fraude: ut detur pari: vt iisdem pactis, quibus ipse accepit, detur. Quintò, de feudo testari non potest, potest tamen ei sine consensu domini renunciare. Sextò, dominum non potest offendere, nec contra eum militare. Septimò, non potest feodium diuidere inter consortes, si feodium ab Imperatore. Octauio, in alienatione feudi noui sufficit solius domini consensus. Nonò, si pater alienare voluerit, requiritur consensus filiorum, si ius illis sit acquisitum; at si hereditarium sit ius, non requiritur consensus filiorum.

8. *De iure domini in feudo, & obligatione feudarij quid?* Primò quidem feudarius domino fidelitatem iurat. Secundò, si plures feudarij heredes, omnes iurare debent; si communitas feudaria, unus, qui feodium accipit, nomine illius iuramentum præstabat. Tertiò, vasallus tenetur per seipsum domino inservire, nisi dominus in alium eius vicarium consentiat. Quartò, actio competens vasallo, ut post inuestituram tradatur possessio, quæ dicitur actio ex lege, & stipulatu.

9. *Quidnam præterea vasallo competit?* Primò, post possessionem dominium utile. Secundò, in novo feudo post inuestitum